

Et tunc barones & milites & alie gentes illic existentes qui bene audiuerant id quod Acmat dixerat omnes communiter responderunt quod ei non deerunt quoisque uitam habebunt in corpore. & ipsum contra omnes homines de mundo iuuabunt. & proprie contra argonem & dixerunt quod timere non debeat. nam ipsum capient & in suas manus apponent. qualiter audiuitis Acmat fuit alocutus gentes suas & sciuit uoluntates earum. & nil aliud dixerunt quoisque argon cum gente sua uenerunt belatum cum eis. Nunc autem de Acmat dimitemus & de gentibus suis. & ad argon & suos homines reuertemur /

Postquam autem Argon pro certo sciuit quod acmath cum sua gente prestolabantur ipsum in campestri prelio cum tanta gentis multitudine iratus fuit ultra modum/ set tamen dixit quod dare sibi melancoliam & ostendere quod timorem habeat de suis inimicis ei nimis posset obesse & sue gentes minus ualerent. & ideo dixit quod de necessitate oportebat ut ostenderet uigorem & audaciam misit ergo pro omnibus suis baronibus & uiris discretis. Et cum magnam quantitatem de ipsis aggregasset in suis pampilionibus quia in quodam loco ualde 115^v° pulcro campum| statuerant. suas ergo gentes fuit taliter alocutus O fratres et sotij pro certo scitis qualiter pater meus uos quondam dilexit. & in toto tempore uite sue uos tamquam filios & fratres retinuit. & qualiter secum fuistis in quam pluribus bellis campestribus & terram quam tenebat ipsum iuuastis suo dominio subiugare. & scitis quod filius sum illius qui uos tantum dilexit. & ego etiam tamquam me ipsum uos dilligo postquam uero ita est ueritas ut uobis retuli iustum est quod uos me contra istum iuuetis qui contra & iusticiam et ius uadit & qui nos uult deserere de terris nostris. scitis Jnsuper quod de nostra lege non est/ set ipsam renuit & saracenus effectus est. & machometi legem obseruans videte igitur qualiter dignum esset quod saraceni super tartaros deberent habere dominium. posquam autem omnes iste occasiones occurrunt bene uobis cor & uoluntas augeri debent in faciendo ea que decent/ ut hoc non accidat. vnde uos omnes rogo quatenus sitis probi homines & ualentes/ & ultra posse nitamini tam audacter bellare quod ipsis in prelio deuincamus. & dominium nobis & non saracenis remaneat. & quilibet ortari debet quod prelum deuincemus quoniam ius habemus & inimici nostri obliquum. Nunc autem uobis plura non refferam/ set omnes rogo quod in bene agendo cor eorum apponant & taliter sermonem suum finiuit :/

/Qualiter barones Responderunt Argoni :/ |

116^r° **E**T cum barones & milites illic existentes/ uerba argonis intellexerunt/ omnes unanimiter dixerunt quod uolebant potius mori/ quam non facere totum posse eorum in prelum obtainendo. Interea dum omnes tacerent quidam Nobilis & magnus baro surexit qui fuit taliter allocutus domine Argon nos